

99 7 165

*un  
mu*

















DISPUTATIO  
SECUNDA CONTRA CALVINISTAS,  
& præsertim Synopsin Kimedoncij.

DE COTHVR-  
NIS SVFFICIENTIÆ ET EF-  
FICIENTIÆ, QVIBVS IAM, CÆ-  
teris subsidijs exuti, aduersus meritum & pas-  
sionem Iesu Christi ingrediuntur.

*Autore*

Samuele Hubero, Heluetio  
Bernensi, S. S. Theol. in illustri Academia  
VVitebergensi Professore:

*Respondente publice*

M. Vito VVolfrum, Pastore  
& Superintendente Cygnæo,

*Disputabitur anno cIo. Io. XCIII die IV. Maij.  
in auditorio magno, hora sexta.*



VV I T E B E R G Æ  
Excudebat Christophorus Axinus.





99.7 165



# T H E S E S

I.



**L**egium sese virum Kimedoncius  
præstitit in synopsi sua, & fecit, quod summo  
Calvinista dignum est.

2. Primò enim alacriter negat, à se suisq; gregalibus ne- *In Synop.*  
gatum esse, Christum esse mortuum pro omnibus homi- *fol. 81.*  
nibus: atque ut se pro socijs fortem præstet gigantem ex  
filijs Geth, exclamat his verbis: Quid est fallum testi-  
monium dicere, si hoc non est?
3. Benè mi Kimedonti, magnum certè crimen, falsum  
testimonium dicere. Sed ne discedas adhuc, donec de-  
monstrauero paulò post, quid tu & socij tui feceritis, &  
adhuc faciatis.
4. Et demonstrabitur, quòd testimonium mendacio  
mendacius, aduersus teipsum & socios tuos proferas.
5. Hic furor accensus est in vobis, ex vindicta Domini,  
cùm in conspectu, Ecclesiæ Arabicam & Mahometanam  
vestram faciem absque larva efferre non amplius ausitis.
6. Cur non pudebat vos scelerum istorum priusquam  
omnes unà, pro quibus pugnatum venis, ea per totum  
effunderetis Christianum orbem?
7. Meministi, quid in confutatione thesium tuarum  
tibi obiecerim, tum, cùm verba huius tantæ blasphemix  
non minus perspicua, quàm nomina autorum propo-  
suissem.
8. Monebam tunc, & denuò moneo, ut demonstres,  
hæc illos non scripsisse, aut eo sensu non scripsisse. Atqui  
hæc non demonstrabis ex fictis tuis cothurnis, sed ex  
contextu autorum, quorum verba tibi seu gehennæ faces

A 2

in



in oculis ardent. Intueri, vt satis cōiicio, ea non audes, neque attingere audes, nisi cum sibilo & strepitu quodam.

*Beza testimonium, de confessione secta sua.*

*Ibid.*

9. Vnum ex Beza tibi proferam, quid secta vestra tradat. Dicit is, CHRISTVM NVLLO MODO PRO IMPIIS ESSE MORTVVM. Quid respondet hic Kimedoncius? audite Christiani. Vtique opus habet, ut graviter se defendat, ne falso & temere falsi testimoniū nos astringat, cum dicimus ab ipsis esse traditum: Christum non pro omnibus esse mortuum.

10. Quòd si enim nihil aliud ex omnibus Calvinistarum libris in medium protulissem, amplissimè hoc sufficiebat ad demonstrandum, hanc esse evulgatam Calvinistarum doctrinam: Christum non pro omnibus hominibus esse mortuum.

11. Perspicuum enim est: Primò quod Christus PRO OMNIBVS hominibus horum opinione non sit mortuus, quippe cum pro impijs negent mortuum esse.

12. Deinde mi Kimedonci, subrige saltem oculos, & inspice, quid sit CHRISTVM NVLLO MODO, NVLLO MODO, NVLLO MODO pro impijs esse mortuum.

*Theol. Theolog. in schol. Genev. f. 129.* 13. Locum tibi monstraveram thesi 1263. & iussi legere thesin 13, vbi ista extant verba. Arrige aures Kimedonci, si non sunt lecta abs te, recitabuntur denuo: RE-

*Phrasi Kimedoncia: Intellegis Kimedonci?* CITA. In illa phrasi: Christus mortuus est pro omnibus hominibus, SVFFICIENTER non Efficienter (vt scholastici loquuntur) ἀκυρολογίκα esse videtur. Siue enim consilium Dei, siue passionis effectum, siue vtrumque spectaveris, pro impijs *b* NVLLO MODO est mortuus. *b* Nimis crudum: nam obliuere alijs solent fraudes suas.

14. Audis



14. Audis Kimedonci? Petisti, ut tibi demonstrarem. Sed heus tu, quam misera es talpa, cum tibi locum antea demonstratum non videres? videas ergo iam tandem.

15. Verum tu dicis, aliquo modo Christum esse mortuum pro impijs. Quo modo? num sufficientiæ, mi Kimedonci? num efficientiæ, mi Kimedonci? aut num aliquo alio nobis nondum cognito, mi Kimedonci? Certè **NULLO**, certè nullo. Beza enim dixit, mi Kimedonci, Beza dixit, & dixit, **NULLO MODO**, pro impijs esse mortuum.

16. Et fat dixisset, si **NULLO MODO** duntaxat posuisset, verum simul etiam in specie modum sufficientiæ & efficientiæ, in quo tu omne præsidium, omneque vallum tuum constituis, abrogat & tollit.

17. Quis nunc falsus testis? Quis Calvinista? id est, quis mentitur? aut putas tandem impudentiam, & contortæ conscientiæ tuæ rabiem satis detectam esse?

18. Quæ ex Paræo, & Gryneo obiter attingis, non sunt ea, quæ ex scriptis eorum tibi demonstrâram: illa enim omnia, ea perspicuitate, qua etiam hoc Bezanum tibi obiectum est, proposita erant.

19. Et nosti, multis in libris meis, testimonia luculentissima huius apostasiæ ex principibus sectæ tuæ allegata esse. Cur taces Kodorlohonor? cur non respondes ad ea?

20. Quod Paræum, & quod impudentissimum est, Bezam, Sufficientiæ & Efficientiæ prætextu excusare vis, facis contra illorum voluntatem.

21. De Beza audiisti. Paræus etiam, sicut videre potes thesi mea 15, repudiat penitus hanc verborum ipsius glossam: & idem certè ipse hoc spiculum, nuper à vobis inuentum, in viscera vestra retorquet, non minus, quam

*Thef. Christi  
stum esse  
mortuum pro  
peccatis, &c.*

Beza ipse.

A 3

22. Sed



22. Sed agè, tu vlcerosum mentiendi os, cur hac in sententia non perstas, à tuis nunquam negatum esse, Christum pro omnibus hominibus esse mortuum: Nunquid nimis crudum est hoc mendacium, & fortasse cruditas hæc ex libro his nundinis evulgato nimis patescit, Nolo autem eadem huc repetere.

*Synop. fol. 78.*

*Kimed.*

*fatetur sua*

*mendacia.*

23. Vide enim turbines conscientiaë tuæ, vbi eodem hoc libello tuo dicis: Non eram nescius, nostros, inter confligendum cum aduersarijs quandoque inficiari solitos, Dominum Christum pro omnibus hominibus esse mortuum.

24. Sciebas hoc? & sciens atque prudens negabas te scire? Sciebas Kimedonci, & dicis falsos esse testes, qui hoc de te tuisque evulgârint.

*Prefat.*

*libri ipsius*

*a. iij.*

25. Sciebas, inquam, hoc etiam tum, cum principi tuo illustrissimo scribebas: Novo in nos conficto crimine traducimur à malevolis, quasi negemus, Christum mortuum pro omnibus.

26. Audiat hoc illustrissima celsitudo ipsius, quòd Kimedoncius, Rector tum universitatis, & ordinarius Professor Theologiaë tum sciuerit, & constanter sciuerit, quòd à socijs suis istud dogma esset traditum. Vnde & hoc sciebat, quòd & Rector & Professor Theologiaë maiestatem principis putido fœdarit mendacio sciens atque prudens.

27. Verùm videor mihi audire, novum Kimedoncium, id est, novas fallendi versutias. Dicit enim sicut & supra, exponenda illa esse de sufficientia & efficientia.

28. Respondeo primò: Kimedoncius verbis illorum iniuriam facit, & contumelia afficit patriarcham suum

Bezama.



Bezam. Is enim & doctrinam de sufficientia & efficien-  
tia, & huius Magistros pro ἀκυρολόγοις iudicat & repro-  
bat.

29. Deinde, non queritur, quomodo Kimedoncius si-  
nuoso cerebello suo verba hæc, & confessionem socio-  
rum multis evulgatam scriptis, interpretetur. Videmus e-  
nim hominis ventosissimum ingenium.

30. Sed hoc queritur, num hoc scripserint: num hoc  
dixerint: num libri adhuc extent: num aliqui horum, &  
p̄cipui quidem, ex professo, libellos ea de re in publicum  
emiserint?

31. Hic habemus Kimedoncium, qui confitetur se sci-  
re, ita isthæc se habere, se scire inquam, id est, non opi-  
nari tantum, Vnde verò sciebat: Quia legerat theses  
Tossani: quia audierat Tossanum, suam disputationem  
in hac quæstione, publicè defendentem: & sciebat, quòd  
ipsemet quoque tales edidisset libros, ignarus adhuc quid  
responsi ab Hubero accepturus esset.

32. Atque sic quidem illum habemus ante meridiem  
feliciter satis confitentem apostasian sociorum suorum:  
post meridiem verò inquit, falsos esse testes, qui hoc de  
illis dicant, & in medium proferant.

33. Et tu Kimedonci, si idem in medium proferas, nun-  
quid falsus es testis: num ignominia non satis habes, nisi  
sponte tibi hoc quoque malum accumules?

34. Quid Tossanus, quid autor *Gülden Keynod* / &  
autor *Gülden Himmelsleitern* / eodem ex fornice menda-  
ciorum, iisdem propè verbis, iisdemque strophis efflârint,  
in libro adversus illos scripto, ante duas, ut opinor, audis  
vitis septimanas.

35. Qualem te suprâ quoque invenerim, in libro con-  
tra te



tra te nominatim scripto, inuenies fol. 14. Repete diligenter, mi Kimedonci. Vides, ni fallor, tandem iudicium Dei in cervices vestras ingravescere.

*Synop. f. 72.* 36. Hoc autem peculiariter notandum est, quod concedere velit, Christum pro omnib. esse mortuum, quatenus verbum omnibus offert & prædicat Christum, tanquam victimam pro peccatis nostris.

37. Quid verò denunciatio ad omnes, si factum non est, quod omnibus denunciatur? num Deum hypocritam & falsum testem facies, eò quod tu hypocrisis & fallitate laboras? Atque hic modus est, quo etiam D. Lutherum involuere volebat.

*Synops. f. 32.* 38. Talis modus est, cum dicit, veritatem illam mortis Christi pro omnibus efficientem esse, etsi in omnibus efficacax non sit.

39. Quid hoc nebularem sit, alijs pensandum relinquo; mihi enim homo iste nimis acutus videtur.

*Synops. f. 71.* 40. Longè autem acutior, cum dicit, gratiam vniversaliter omnib. in Christo partam esse, concedi posse cum conditione. Verba ipsius, sicut in libello extant, huc ascribam. Sic enim inquit: Cum conditione fid. & res.

NB  
His characteribus scripta erat thesis Kimedoncij.

quia prom. requ. fidem. Hoc genus dicendi & respondendi, taliaque in rebus longè maximis ænigmata, quæ alioquin apud ceteras gentes, sycophantarum & Agyptiarum sunt tesserae, appellantur vulgato nomine in patria mea, *Norwelsch* / aut, vt Lutherus appellare solet, *Kauderwelsch*.

*Synops. de furorib. Hub.* 41. Hæc annoto, vt videas Christiane lector, quis fuerat, Huberus ne, an Kimedoncius.

*f. 20. 24. 28.* 42. Simul etiam hoc vides, quid sit impostorem agere,

*Synop. f. 63.* alijsque imputare, quod suum est,

43. Pro



43. Propriis autē adhuc cōtemplemur imposturas Kimer-  
doncianas. Dicit, in assertione Christum pro salute omnis  
um hominum non esse mortuum, quodam sensu negari, *Synop. f. 82.*  
quodam verò affirmari posse.

44. Hic intelligis, opus iam esse, vt fictitium aliquod  
comminiscatur dicendi genus, quo sociorum iacula in  
mortem Christi, diluat.

45. Sicut etiam hoc est, cū scribit vtrunque dici  
posse: Pro omnibus Christum esse mortuum, & pro ali- *Synops. f. 78.*  
quibus duntaxat esse mortuum.

46. Vbi observabis, primò asserere eum hanc doctri-  
nam, Christum pro aliquibus duntaxat esse mortuum.  
Vbi itaque illud, cū nobis falsum impegerat testimo-  
nium:

47. Deinde, concedit pro omnibus esse mortuum. Ecce  
iam tandem hoc evicimus, ut homines isti Evangelicæ  
veritatis fulgore adacti necesse habeant confiteri, quod  
publicè antea multis in scriptis in conspectu totius Chri-  
stiani orbis negarunt & eiurarunt.

48. Reminisci itaque hic debet Christianus populus,  
quid homines isti antea in medium protulerint, & longè  
latèque sparserint, maiorique ausuri id omne blasphemiarum  
mole, nisi fortiter eis (quod illi furere appellant) ob-  
viam itum fuisset. Et reminiscatur saltem hac in parte, fu-  
rores hos nostros, vt ipse appellat, Ecclesiæ salutare fuisse.

49. In prioribus enim scriptis, tituli erant disputatio-  
num Tossani, Grynæi, Bezae, Christum non esse, aut  
vt Beza dicit, nullo modo esse pro omnibus hominibus  
mortuum.

50. Attracti itaque cū sint ad istam confessionem,  
teneamus eam, quasi forti manu obtentam: neque sin-  
gulis illos iam eludere hanc confessionem novis figmen-  
tis.

B

51. Con-



51. Constat enim satis, cur antea negarint, & causæ infrà commemorabuntur.

*Synops. f. 22.*

52. Quòd iam diversos respectus facere volunt, & dicunt, vtrunque verum esse, Christum pro omnibus esse mortuum, & pro aliquibus duntaxat esse mortuum, itemque Redemptionem SVO MODO vniversalem esse: satis manifestè strophas ipsorum prodit, in quibus pro sectæ huius antiqua consuetudine, & consueta verborum sartagine, nobiscum, imò cum Ecclesia vniuersa secundum os Spiritus sancti loqui volunt, atq; vi adacti (si inter Christianos hospitij ius sibi relinquendum esse censent) vt confiteantur necesse habent: interim verò suos peculiare MODOS comminiscuntur, id est morsus sycophanticos, quibus re ipsa id ipsum negant & depascunt seu depopulantur, quod verbis affirmant.

53. Hoc fallaciarum genus omnia alia longissimè superat. Nam vulgo imperito graviora infligere vulnera non possunt.

54. Atque iam tandem accedimus ad id quod homines isti, præsertim Kimedoncius, excogitarunt, intra paucos non annos sed propè menses tantum, ludibrium scilicet religionis Christianæ, vt nobiscum id loquantur, quod prius in imum detestati erant Tartarum: Scimus enim, quàm infandas blasphemias eiaculati sint aduersus doctrinam Evangelij, Christum pro omnibus esse mortuum.

55. Iam verò id concedere volunt, sed sic, vt duntaxat verbis ijisdem, quibus etiam nos, vtantur, re ipsa verò blasphemias illas propagent isto incrustatas communi dicendi genere.

56. Huc pertinuit inventum illud de Sufficientia & Efficentia, quo omnia sua castra & præsidiū transulerunt.

57. Dabimus itaque operam in Domino, vt fraus illorum  
rum



rum ritè aperiatur, & demonstretur, quòd iisdem blasphemias suam ab Evangelio Iesu Christi apostasiam propagare conentur: atque ista concessione, qua iam blandiuntur Ecclesiae, nihil aliud meditari, quàm sputa & ludibria in religionem Christianam.

*De vocabulis Sufficientiae & Efficientiae.*

58. In libro contra Kimedoncium edito, indicatum est, quòd originem vocabulorum horum Calvinistae repertant à Thoma Aquinate & Innocentio Papa: Ibidemque *Contra Kimedon. f. 32.* perspicuè demonstratum, quòd isti vti quidem fuerint terminis istis, sed longè alia significatione.

59. Sicut etiam ex hoc constat, cum Thomae sint verba, meritum Christi quoad Sufficientiam **Æ QUALITER** se habet **AD OMNES**. Hic audis quid Sufficientiam appellet. Kimedontius autem negat quantum ad Christi voluntatem, Gratiam ad omnes **PER Æ QVE** pertinere. *Synop. f. 158.*

60. Sic itaque Sufficientiae vocabulo utrinque non videntur in eadem significatione.

61. Eamque faciunt scholasticis iniuriam, quam faciunt quoque scripturae, cum arreptitijs sua infarciunt dogmata vocabulis, & sub scripturae prae-textu suum Ecclesiae propinant venenum.

62. Notum etiam est, Bezam in hac doctrina penitus reiecisse vocabulorum horum usum, sicut ex allegato testimonio audivimus. Et similiter extat in responsione altera ad Colloq. Mumpel. fol. 218.

63. Alibi dicit Beza, admitti posse vocabula ista, si rectè intelligantur.

64. Ut videas hominem istum versipellem, ostendam, qualem verborum interpretationem admittat.

*Respons. 2. ad Colloq. M. fol. 221.*



„ Primò enim dicit, **NULLO MODO** Christum pro  
 „ impijs mortuum esse, sicut supra audivimus. Deinde ob-  
 „ ferva, quòd ibidem subiiciat: Aliàs fatemur tanti esse  
 „ hanc oblationem, vt potuerit pro infinitis mundis (si tot  
 „ essent) satisfacere, nedum pro singulis vnus, **SI DEVS**  
 „ eorum omnium voluisset misereri, & pro omni-  
 „ bus Filium misisset.

65. In qua ergo significatione putas vocabulum Suffi-  
 cientiæ accipi posse, si hoc præsupponi debet, Deum no-  
 luisse omnium misereri, & noluisse pro omnibus Filium  
 mittere?

66. Qualemcunque itaque effingas vocabuli vsum,  
 nihil aliud reperies, quàm merum ludibrium ex illa hypo-  
 thesi Culviniana, qua tradunt, Deum noluisse Filium  
 pro omnibus mittere.

*Theol. Theol.* 67. Atque ut Bezae mentem rectè intelligas, nolle se  
*autorib. Beza* vocabula isthæc admittere, nisi iisdem mors Christi pro  
*& An. Fajjo,* omnibus, negetur: audi verba aut si mavis tonitrua ex  
*excus. Geø,* ore improbi huius hominis, in vulnera Christi. Ita-  
*neve 1591.* que coram Deo & tota Ecclesia testamur, figmentum  
*fol. 128.* „ illud inauditum & dilutum: Christum videlicet, non  
*thesi 38.* „ minus pro omnibus impijs, quàm pro fidelibus esse mor-  
 „ tuum, & neminem propter peccata, sed propter solam  
 „ incredulitatem damnari, contra sacrâ scripturam, articu-  
 „ los fidei, catholicæ Ecclesiæ confessiones, antiquitatem  
 „ sacram & Lutherum pugnare, blasphemum, impi-  
 „ um, falsum, insulsum, & in officina vertiginosi arde-  
 „ lionis primùm esse fabricatum, iam verò à petulantibus,  
 „ quibus volupe est ecclesiæ Iesu Christi ædificationi pe-  
 „ dem opponere, contra communem rationem defendi.  
*Hoc suffici-* „ A quo infelici figmento toto pectore nos ab-  
*enter est &* „ horrere profitemur. 68. Ist-  
*efficienter.* „



68. Ist hæc scripsit illa in disputatione Beza, in cuius  
auctarijs, auctario tertio, verba illa posuit, suo loco alle-  
gata, ἀκυρολογία nimirum esse, Christum mortuum esse  
Sufficienter pro omnibus, non Efficienter. Et addidit:  
• Siue consilium Dei, siue passionis effectum, siue  
utrumque spectaueris pro impijs **NULLO MO-  
DO** est mortuus.

Audis tres  
modos Kimee  
donci, quos  
negat & da-  
mnat?

69. Atque sic quidem cothurnos istos Kimedoncia-  
nos satis evertissemus, nisi vt ille interpretari solet, ani-  
mus mihi esset vehementius & pressius adhuc aduersus  
eum furere.

70. Planè enim constituimus, scophanticam hanc  
novam sectæ huius exurere cavernam, vt habeat Ecclesia  
perspicuè, quod vult, homines nimirum istos, Evangeli-  
um eiurare Iesu Christi, & facinus involucris Sufficientiæ  
& Efficientiæ contra omnia doctrinæ suæ principia, &  
contra ipsum, à quo eam suxerunt, Hæresiarcham, tegere  
& occultare, summa cum fraude iam demum cœpisse.

### *Status.*

71. Vt statum autem habeamus: Aseueramus nos, Chri-  
stum omnium hominum peccata ex æquo, sine vlla diffe-  
rentia, tulisse, sicut scriptura dicit, agnum fuisse tollen-  
tem peccatum mundi: atque cum omnia omnium homi-  
num portaret peccata, pro omnibus etiam omniū homi-  
num peccatis satisfecisse.

72. Verè enim portauit peccata & languores nostros,  
verè etiam abolevit. Alioquin adhuc portaret. Si enim  
verè portata sunt, vt verè etiam expiata sint sanguine i-  
psius, necessariò sequitur.

73. Atque vt hoc fieret, dicimus beneplacitum fuisse  
patris



patris, & consilium hoc Patris fuisse, in dilecto diligendi totum mundum.

74. Iam sicut Sufficiens pro omnibus ista redemptio à Deo instituta est, & in hunc finem super omnes homines olim in Adami lumbis conclusos, immensæ misericordiæ consilio destinata: Ita etiam, quoad consilium Dei, quoad  $\lambda\upsilon\tau\rho\rho\varsigma$ , id est, ipsissimum effectum, quo Filius Patri suo satisfecit, dicimus efficaciter, re ipsa, facto & opere iso redemptionem hanc pro omnibus præstitam esse.

75. Hanc autem efficaciam tradimus & statuimus in consilio & in morte Christi, atque hanc eousque extendimus, quousque omnis ipsius mors sese extendit, & efficaciam illam morti ipsius ubique indivulsam adhærere ex Evangelica veritate asserimus.

76. Quocirca etiam cum victi adversarij hac in parte, concedere cogantur, Christum pro omnibus esse mortuum, dicimus: tamen nos, efficaciter pro omnibus mortuum esse, omnemque excludimus æquivocationem, respectum & ambiguitatem: non dubitantes, in  $\alpha\pi\omicron\lambda\upsilon\tau\rho\omega\sigma\iota\varsigma$  hac communem omnium hominum causam transactam esse.

77. Alia est efficacia autem respectu hominis, quæ cor eiusdem, huius  $\alpha\pi\omicron\lambda\upsilon\tau\rho\omega\sigma\iota\varsigma$  experitur vim & efficaciam, quod non nisi per fidem, id est per applicationem fieri potest.

78. Huius exempla alibi dedimus, comparatione Redemptionis captivorum, itemque anni Iubilæi, &c. Vbi  
efficacia



efficacia in λύτρῳ, cum λύτρῳ efficacissima erat, vbi etiam efficacissimus effectus erat anni Iubilæi in ipso Iubilæo, super omnia mancipia Iudæorum, vnde etiam omnes verè redempti, & libertate donati re ipsa & opere ipso erant: Interim verò in applicatione aliqui inefficax sibi (scilicet respuendo) efficiebant, quod in se consideratum ipsis ex æquo, vt & cæteris, efficax esse debebat.

79. Quapropter considerata illa vera redemptione & liberatione in ἀπολύτρωσις ipsa, quæ illis destinata & instituta erat, & in anno Iubilæo, qui ipsis quoque destinatus & institutus erat: dici possunt omnes accepisse quoad institutum, (tametsi aliqui horum, frui beneficio nolint) liberationem & redemptionem. Eadem est ratio, cum redemptione ista spiritali: Atq; hic est sinus gratiæ, iuxta illud: Sic Deus dilexit mundum, &c.

80. Hæc fusiùs tractavimus aliàs in libro contra Kimedontium, & in libro, cui titulus: *Beständige entdeckung* &c. etiam his nundinis edito. Et breviter quidem, hæc est constans secundum Evangelium confessio nostra, Quicquid Christus efficaciter fecit, vel pro Petro, vel pro Paulo, tum, cum ἀπολύτρωσιν præstaret, id ipsum ex æquo eadem Efficacia, eodem consilio, eadem destinatione, misericordia, eodem fine pro omnibus præstitisse.

81. Atque adeò, vt Petrus vel Paulus ex æquali illo thesauro nihil acceperint, nisi quod Iudas quoque Simon magus, &c. accipere poterant, æquè efficaciter, pro illis factum, & impetratum, atque pro cæteris, qui fide sibi applicarunt.

82. Quod



82. Quòd si itaque dicimus (quod isti cerbereis arro-  
dunt faucibus) redemptos esse omnes homines per Chri-  
stum, omnes liberatos, & quoad Deum, & efficaciam mor-  
tis filij ipsius, omnes dilectos, siue credant, siue nò credant,  
istæc, sicut omnes libri mei testantur non dicta erant, ne-  
que dicta sunt, respectu applicationis. Neque ipsos hoc la-  
ret, vt constat ex verbis ipsorum, quando allegant ex  
meis, hanc redemptionem fide vsurpandam & applican-  
dam esse, alioquin incredulitatis culpâ deperire, & iudici-  
um condemnationis in hos aggravari.

83. Verùm sicut in applicatione dici non potest, siue  
credant, siue non, alioquin nulla esset applicatio: ita re-  
spectu huius, quod Deus erga totum genus humanum fe-  
cit, ibi secundum scripturam loquimur, & confitemur, o-  
mnes homines fuisse in Christo redemptos, & æquali re-  
demtionis conditione sine omni προσωποληψία, siue credant,  
siue non credant.

84. Cùm loquimur de credentibus, loquimur de appli-  
cantibus & vtentibus efficacia mortis: si de non creden-  
tibus loquimur, totum id spectat ad respuentes aut sibi  
non applicantes beneficium & efficaciam Redemptionis,  
& idcirco sibi Christum facientibus inutilem & gratiam  
Dei suscipientibus in vanum, ut Paulus loquitur.

2. Cor. 6.

85. Quomodo verò Redemptio ad vsum per fidem ap-  
plicanda sit: itemque quomodo vocabula redimendi, re-  
conciliandi, diligendi, &c. omnes homines, sine æquivo-  
catione in luce sua cœlesti vera & perspicua consistere  
debeant, in libro contra Kimedoncium, atque ibidem de  
gremio misericordiæ, in quod recepti sumus, prolixè est  
tractatum: eoque lectorem remitto.

86. Vno tantùm in præsentia defungar argumento.  
Quotquot pereunt, propter incredulitatem pereunt:  
Perrie



Perire propter incredulitatem non poterant, nisi verè, re-  
ipsa & indubitanter, destinato Dei consilio, & efficaciter,  
Christus pro istis mortuus esset.

87. Si verè non est mortuus pro illis, nec verè fiunt in-  
creduli: nec verum est iudicium in incredulitatem eo-  
rum: nec etiam vera condemnatio.

88. Quòd si itaque verè propter incredulitatem da-  
mnantur, verè etiam Deus opere ipso & consilio redi-  
mendi, Filium hunc suum ipsis misit.

89. Iam vicissim adversarij, vt constat ex appendice  
thesium mearum, in confutatione thesium Kimedon-  
cij, negant, Christum factò & opere ipso omnibus & sin- *Fol. libri mei*  
gulis Redemptionem attulisse: verè & indubitanter id fa- *344.*  
ctum esse: ex æquo pro omnibus mortuum esse, &c. quæ  
consequenter enumerabimus, adiunctis principijs, ex  
quibus doctrinam istam extruunt: vt satis constet, illos  
sub vocabulo efficientiæ, quam paucis hominibus attri-  
buunt, veritatē, & certitudinem velle significare: sub vo-  
cabulo autem sufficientiæ nihil nisi *δυσωμμία*, id est, ludi-  
brium & figmentum à re ipsa, de qua loquuntur, alienis-  
simum.

90. Aut, sicut post audiemus, nihil aliud spiculo Suf-  
ficientiæ volunt in enunciatione: Christum pro omnibus  
Sufficienter esse mortuum: quàm opponere scripturæ af-  
firmanti hanc negativam sententiam, quæ nihil aliud est,  
quàm *ἡντι* scripturæ opposita Diaboli *ἀντίφασίς*, eo planè  
modo, sicut factum est olim in Paradiso.

91. Eoque furiosior est hominum istorum improbitas,  
quòd negantes veritatem passionis Christi, ipsam quoque  
scripturam & Evangelium Iesu Christi eò contorquere  
audent.



92. Videamus autem ordine argumenta aliquot, quibus demonstrabitur, quo fucō Sufficientiæ, sua illinant cōvicia in mortem Iesu Christi, rudi popello proponētes, fabulam esse, Christum pro omnibus esse mortuum, interim verò locos de morte Christi pro omnibus hominibus, non palam quidem amplius, vt ante vnum vel alterum annum fecerant, negantes & damnantes: sed clam & furtivè iam negantes, opposito locis scripturæ vocabulo Sufficientiæ, ut omnia pronunciata scripturæ de morte Christi convellant, & in illam indefinenter contorqueant blasphemiarum, quibus turgent, voraginem, in qua adhuc hostili in Christum animo clamitant, falsum esse Evangelium ipsius de Redemptione totius generis humani.

93. Demonstrabimus itaque, vt diximus, vocabulum illud merum esse fucum, vsu Calviniano, & perpetuam negationem veritatis Evangelicæ. Potestis enim ex principijs vestris, & omni apparatu doctrinæ vestræ convinci, quòd Christum negetis vllò consilio Dei pro maxima hominum parte esse mortuū. Quocirca vocabulo Sufficientiæ tantum vestram ab Evangelio IESU CHRISTI involvitis fraudem. Atque poterant fortasse ista argumenta in angustiorem contrahi numerum: sed non abs re fore arbitramur, multa diversa pronunciata ex scripturæ huius autoribus referre, vt eo magis appareat, nullam omnino eis fieri vim, iniuriamque.

*Fucus vocabuli Sufficientiæ argumentis ordine detegitur.*

94. Primum argumentum.

*Beza Resp.*

*2. ad colloq.*

*M. fol. 194.*

Vestra habet doctrina, DEVM NVNQVAM VOLVISSE ALIQVORVM misereri, NVNQVAM tempus fuisse, vel esse, vel futurum, in quo voluerit, velit, aut voliturus sit, singulorum misereri, imò ab æterno constituisse,



tuisse, aliquos (absoluta voluntate, aut ex nativo odio, ut dicere soletis) in Christo Indurare.

Re ipsa itaque pernegatis vos Calvinistæ, mortem Christi pro omnibus esse factam, & Sufficientiæ commentum nihil est aliud, quàm merum ludubrium, & fraus impostoribus digna.

95. Secundum argumentum.

Vestra habet doctrina, a non esse homines pari conditione creatos, plerosque enim æterno Dei decreto (quod appellatis absolutam voluntatem) præordinatos esse ad damnationem: b finem Deo creanti non fuisse propositum, omnes beate: varium & inconstantem fore & imbecillum, si in creatione hoc tibi proposuisset: c condidisse certos homines, certis medijs atque modis, certis temporibus, & certis causis, quos præfiniverit damnare: d decretum fecisse ante creationem & omnes fines creationis, ut isti perirent, & ad executionem decreti in lucem ederentur: huic decreto, ut perirent, necessario perdendos innexos fuisse: e Deum in ipsa creatione reprobos sic compegisse decreto suo, ut vasa essent iræ atque condemnationis, ineluctabilis.

Re ipsa igitur pernegatis Calvinistæ, mortem Christi pro omnibus hominibus esse factam, & Sufficientiæ commentum nihil est aliud, quàm merum ludibrium, & fraus impostoribus digna.

96. Tertium argumentum.

Vestra est doctrina, multis istis pronunciatis: Deum condidisse reprobos ad reprobationem: ad mortem: ut sint vasa iræ: ut perdantur: in vitæ contumeliam & mortis exitium: ad dedecus: ad peccata: ad usus malos: ad interitum: ad indurationem: & denique ad hanc calamitatem, cui damnandus homo subiaceret: ut Christus quoque ipsis sit offendiculo: ipsis sit ad contumaciam & iram: quippe non conditis ad salutem, sed ad condemnationem.

Re ipsa igitur pernegatis Calvinistæ, mortem Christi pro omnibus hominibus esse factam, &c. ut sup.

C 3

97. Quar-

a Calvi. inst. lib 3. cap. 21.

§ 5.

b Beza vol. 1. fol. 352. 418.

c Thesau. ver. & orth. fid.

fol. 39.

d De prædest. doctr. & vera

us. fol. 108.

e Beza vol. 1. fol. 360.

In schol. n.

test. fol. 564. 193.

Resp. 2 ad Coll. M. fol.

164. & 203.

Vbi hæc verba in scriptis

illorum legantur, vide in

disput. mea, de sine hominibus,

thes. 139.





97. Quartum argumentum.

Vestra est doctrina, *a* Deum omnes reprobos odisse in Adamo, atque hoc odium ex nulla causa, nisi ex decreto beneplaciti ortum esse, hanc Dei esse naturam, ut non adducatur alicuius odio, ut eum exitio destinet, sed eum odisse, quem exitio (vides prædestinationem Calvinianam?) destinarit. *b* odisse Deum & destinare odio eos, qui nihil mali egerunt cum potuerit eos amare, damnare quos possit sine ulla reprehensione imo multa cum laude servare, adeo ut si hoc à nobis fieret, iniustum esset, Deo verò qui hac sit natura, iustum esse: *c* hanc perdendi & odiendi genus humanum voluntatem appellatis voluntatem Essentialem in Deo.

Bez. vol. 1. fol. 346. 347.

*b*  
Thesaur. ver. & orth. fid. fol. 44.

Lege quaeso mi lector. His perhis

bentur ibi subscripsisse Spiritus sanctus, Beza, Zanchius, Ursinus, Hemmingius, & Gryneus.

*c*  
Spind. im sehr nothw. Bericht. fol. 378.

*a*  
Bez. vol. 1. fol. 339.

*b* Bez. de Pred. Doct. & ve. vs. f. 60. *c* Calv. instit. lib. 3. ca. 22.

*d* Rennech. aur. sal. cat. fol. 37.

*e* Thes. ver. & orth. fid. fol. 36.

*f* Bez. vol. 1. fol. 340. 412. Zanch. de nat. Dei. fol. 694.

98. Quintum Argumentum.

Vestra est doctrina, *a* perditionis causam in Deo esse absconditam, & in solo voluntatis eius arbitrio: nec perditionem pendere à rerum qualitate, sed qualitates rerum ex illo causarum ordine, quem Deus absoluta voluntate fixit: *b* nihil extitisse, cuius respectu homines perdere voluerit, nisi merum beneplacitum ipsius: *c* & nihil causæ quærendum esse extra Dei voluntatem: *d* insuper, arcano consilio & immota voluntate nulla alia causa aliquot homines æterno exitio & supplicio adiudicasse, sed fecisse hoc, EX SE SE, ET PROPTER SE SE, antequam mali aliquid fecerint: peccatum enim NEQVAQVAM reprobationis esse causam, imò reprobationis causam NEQVAQVAM in homine, sed in sola voluntate Dei quærendam esse: *e* Quapropter dicunt absolutam hanc esse, & omnipotentissimam voluntatem Dei, quæ impediri non possit, iuxta quam SIMPLICITER NOLIT ALIQVOS salvari.

Reipsa igitur pernegatis Calvinistæ, mortem Christi pro omnib. hominibus esse factam, & Sufficientiæ, & e. ut sup.

99. Sextum argumentum.

Vestra est doctrina, *f* necessitate Dei  $\pi\epsilon\alpha\kappa\lambda\mu\tilde{\iota}$  homines constringi ad pereundum. Ideoque homines propter decretum, à Deo

*e* Thes. ver. & orth. fid. fol. 36.

*f* Bez. vol. 1. fol. 340. 412. Zanch. de nat. Dei. fol. 694.



Deo ab æterno factum (satum Calvinianum) exitio destina- *Thef. ver. &*  
tos, non posse non suo tempore perire. *orb. fol. 56.*

Re ipsa igitur pernegatis Calvinistæ, mortem Christi pro  
omnibus hominibus esse factam, & Sufficientiæ commentum  
nihil est aliud, quam merum ludibrium & fraus impostoribus  
digna.

Hic notabis quoque Kimedoncianum mendacium contra *Synops. f. 116.*  
principia religionis suæ, vbi inquit, neminem ad peccandum  
prædestinari.

100. Septimum argumentum.

Imo vestra est doctrina, necessitatem absolutam peccandi  
& pereundi, hominibus incumbere, quotiescunque absolutum  
decretum, huiusque executionem in homines stringitis.

Ergo re ipsa pernegatis Calvinistæ, mortem Christi, pro  
omnibus hominibus esse factam, & Sufficientiæ, &c. vt sup.

101. Octavum argumentum.

Vestra est doctrina, <sup>a</sup> Deum ordinasse media, vt homines *Bez. Respons.*  
pereant, atque motus & effecta illa in causis secundis ordina- *2. Coll. M.*  
se, vnde illud vestrum <sup>b</sup> horologium, in quo Deum extimæ *fol. 204.*  
comparatis rotæ, homines autem ad gehennam conditos in- *b*  
terioribus rotis, tractis & raptatis manu opificis per peccata *Bez. vol. 1.*  
& scelera, omnemque ingluviem ignominiarum, in gehen- *fol. 692.*  
nam: <sup>c</sup> hinc illud de καλοπισμοῦ & συνήθειαι scelerum in homine,  
quam Deo attribuitis. *Id. in Schol.*

Ergo re ipsa pernegatis Calvinistæ, mortem Christi pro o- *N. T. Rom.*  
mnibus hominibus esse factam, & Sufficientiæ, &c. vt sup. *cap. 9.*

102. Nonum argumentum.

Vestra est doctrina, <sup>a</sup> instrumenta isthæc, hoc est ter miseros *Theaur. 7.*  
vestra opinione ad gehennam conditos homines agitari mo- *& or. fid.*  
veritè à Deo, & Deum <sup>b</sup> ενεργῶν in ipsis omnia vi actiosa & effe- *fol. 57. 146.*  
ctrice, atque interna quadam particulari actione, vel immedi- *b Bez. vol. 1.*  
atè per se, vel mediatè per ministerium Satanæ: <sup>b</sup> atq; sic per *fol. 372. 373.*  
instrumenta agere, vt non tantum moderetur eventum, sed et- *c Ren. aur.*  
iam excitet, impellat, & in hunc finem creet: <sup>c</sup> & tanta virtu- *sal. cat. f. 416*  
te agi-



re agitet, vt mali mala facere non possint, sine Dei agitatione & motu.

Ergò re ipsa pernegatis Calvinistæ, mortem Christi pro omnibus hominibus esse factam, & Sufficientiæ, &c. vt suprâ. Notabis lector, in his & similibus argumentis, quæ causa sit, quòd nullam quoad infideles efficaciam mortis Christi concedere velint, cum hinc satis constet, ex Deo illos absolutam perdendi efficaciam in hos derivare.

### 103. Decimum argumentum.

*Bez. Resp. 2. ad Coll. M. fol. 171. 172.* Vestra est doctrina, contrarias in Deo esse voluntates, de quibus contra vos in peculiari agetur disputatione. Atq; Euangelium salutis & mortem Christi denunciari aliquibus etiam à Christo ipso, qui exitium illis non modò destinatum esse sciebat, absoluta voluntate Dei, sed etiam eiusdem decreti cum Patre & Spiritu sancto autor fuerit, illudq; approbârit.

Ergo re ipsa pernegatis Calvinistæ, mortem Christi pro omnibus hominibus esse factam, & Sufficientiæ, &c. vt sup.

### 104. Undecimum argumentum.

*Synops. fol. 8.* Doctrina est vestra, vt patet in Synopsi Kimedonciana, Christum tantum pro electis esse mortuum; & Kimedoncius concedit, hanc vestram omnium esse doctrinam. Et remedium hoc inquit Kimedoncius in Christo quod est, SOLIS ELECTIS à Deo præparatum & prædestinatum esse, fol. 26. Testimonia è Kimedoncio plura habere potes in libro aduersus eum scripto. Notatu etiam dignum est, quod iuxta Bezam confiteatur, Christum passum esse tantum pro Electis, & non pro alijs, quod ad consilium Dei & effectum passionis. Idem verò Beza dicit, vt suprâ audiimus, pro cæteris Christum non sufficienter nec efficienter, siue respicias consilium Dei, siue passionis effectum, siue vtrunq; VILLO MODO, VILLO MODO, mortuum esse. Ideoque ipsius sententia est, si sufficientia aliquid habet aliud, quam efficientia id, solis tamen Electis, & cæteris NILLO MODO competere.

Ergo



Ergò re ipsa pernegatis, Calvinistæ, mortem Christi pro omnibus hominibus esse factam, & Sufficientiæ, &c. vt sup.

105. Duodecimum argumentum.

Vestra est doctrina, Christum non mortuum esse pro reprobis. Vide in libro meo contra Kimed. Atque hoc est, quod *Fol. 44.* Beza dicit, Christum pro impijs **NULLO MODO** esse mortuum.

Ergò re ipsa pernegatis, Calvinistæ, mortem Christi pro omnibus hominibus esse factam, & Sufficientiæ, &c. vt sup.

106. Decimum tertium argumentum.

Vestra est doctrina, vt species etiam hominum & individua enumeretis, pro quibus Christus nullo modo sit mortuus. *Vide librum meum. Beza*

Ergò re ipsa pernegatis, mortem Christi pro omnibus hominibus esse factam, & Sufficientiæ, &c. vt sup. *Beständige entdeckung &c. fol. 65.*

107. Decimum quartum argumentum.

Vestra est doctrina: Neminem omnium perire, pro quo Christus sit mortuus: aut, si qui pereant, non pertinuisse ad universalitatem illam, pro qua Christus est mortuus. *Kimedonc. in Synop. fol. 95. In libro meo,*

Ergò re ipsa pernegatis, Calviniani, mortem Christi pro omnibus hominibus esse factam, & Sufficientiæ, &c. vt sup. *Beständige entdeckung &c. f. 55. 56.*

108. Decimum quintum argumentum.

Vestra est doctrina, per vocabulum (Omnis) indefinitè aliquos intelligendos esse, quod interpretamini, vt efficacia mortis Christi, hoc est, id quod præstitit, ex consilio Dei, non ad omnes referendum sit, atque ita universales notas in scriptura, ad particularitatem mortis Christi restringendas esse, traditis. *In Synop. fol. 74. 75.*

Ergò re ipsa pernegatis Calvinistæ, mortem Christi pro omnibus hominibus esse factam, & Sufficientiæ, &c. vt sup.

109. De



109. Decimum sextum argumentum.

*Cont. Kimed.  
fol. 58.69.  
Fol. 101.*

Vestra est doctrina, omnem illam in sacra scriptura propositam generalis Redemptionis cœlestem doctrinam glossis distillandam & disturbendam esse, sicut in libro illo contra Kimedoncium patefecit. Atque idem in libro sub titulo, *Beständige Entdeckung*/dilucidè demonstraui.

Ergò re ipsa pernegatis, mortem Christi pro omnibus hominibus esse factam, & Sufficientiæ, &c. vt sup.

110. Decimum septimum argumentum.

*Synops. fol. 73.  
Ibid. fol. 86.  
88.*

Reconciliationem negat Kimedoncius tam latè patere, atque vniversitatem generis humani. Quò pertinet, quod negat, mundum posse accipi, Iohan. 3. Ioh. 1. &c. pro promiscua turba credentium & non credentium.

Ergo re ipsa pernegatis Calvinistæ, Christi mortem pro omnibus hominibus esse factam, & Sufficientiæ commentam nihil est aliud, &c. vt sup.

111. Decimum octavum argumentum.

*Vide librum  
meum contra  
Kimedont.  
fol. 57.*

Vestra est doctrina, Satanam non esse abolitum & triumphatum omnibus simul & semel, & caput Diaboli non esse contritum pro omnibus: nec magnam partem regni Satanici per ipsum esse contritam.

Ergo re ipsa pernegatis Calvinistæ, mortem Christi pro omnibus esse factam, & efficientiæ, &c. vt sup.

112. Decimum nonum argumentum.

*Fol. 59.  
Ios. thes. 21.*

Vestra est doctrina, vt enumeretis absurda necessario, vt dicitis, secutura, si Christus pro omnibus esset mortuus, Ea de re vide librum meum, *Beständige Entdeckung*/Et Tofsanum in disputatione Christum non pro omnibus esse mortuum.

Ergò re ipsa pernegatis, Christi mortem pro omnibus hominibus esse factam, & Sufficientiæ, &c. vt sup.

113. Vicesimum argumentum.

Vestra



Vestra est doctrina, eontradiatorias propositiones esse, *Kim. Synops.*  
Christum esse mortuum pro omnibus, & mortuum esse pro *fol. 36.*  
credentibus.

Ergo reipsa pernegatis Calvinistæ, mortem Christi pro  
omnibus hominibus esse factam, & Sufficientiæ, &c. vt sup.

114. Vicesimum primum argumentum.

Vestra est doctrina, omnes hos, de quibus scriptura di-  
cit redemptos esse, si postea pereant, opinione tantum homi-  
num redemptos esse: nec verè, propriè, reipsa id præstitum es-  
se: opinione autem hominum hæc ita visa fuisse.

*Kim. Synops.*  
*fol. 95. 98.*  
*Vide plura*  
*contra Kim.*  
*fol. 62.*

Ergo reipsa pernegatis, mortem Christi pro omnibus  
hominibus esse factam.

115. Vicesimum secundum argumentum.

Vestra est doctrina, si Christus efficaciter pro omnibus  
mortuus esset, mortuum fuisse & pro brutis & Diabolis. Et fal-  
sò me accusat Kimedoncius, quod Tossano iniuriam fecerim.  
Lege enim verba Tossani, quæ Kimed. ipsemet *fol. 82.* refert  
in Synopsi.

*a Tossan.*  
*Schwins*  
*delgeists*  
*Merckzei-*  
*chen/ fol. 23.*

Ergo reipsa pernegatis Calvinistæ, mortem Christi pro  
omnibus hominibus esse factam, & Sufficientiæ, &c. vt sup.

116. Vicesimum tertium argumentum.

Vestræ immanes sunt blasphemix multis vestris scriptis  
in mundum effulminatæ, adversus Euangelium hoc, Christum  
pro omnibus hominibus efficaciter, seu reipsa mortuum esse:  
quas horribiles ipsorum blasphemias, legere potes Christiane  
lector, in libro meo, *Beständige entdeckung*: Itemque in scri-  
pto contra Kimedontium: vbi appellant meram Epicuream  
fabulam, abominabile, inauditum & blasphemum figmen-  
tum, abominationem & Diaboli præstigias. Quomodo Beza  
appellet, Euangelium de Christo mortuo pro omnibus homi-  
nibus, figmentum inauditum, dilutum, blasphemum, impium,  
falsum, insulsum, à quo infelici figmento ipse & socij toto pe-  
ctore abhorreant, suprà allegatum est.

*Fol. 73. 98.*

*Cont. Kime.*  
*fol. 55.*

Ergo reipsa pernegatis Calvinistæ, mortem Christi pro o-  
mnibus esse factam, & Efficientiæ, &c. vt sup.

D

117. Vi-



117. **Vicesimum quartum argumentum.**

*Bez. in Luth. sam cap. 2. v. 34. Et in 1. Pet. 2. v. 8. Et vol. 1. fol. 453.* Vestra est doctrina, Christum, æterno Dei decreto, in casum & perniciem multis esse destinatum: atque idcirco nunquam missum consilio Dei, vt reprobandi spem salutis in illo concipere possint, atque idcirco, cum tot pereant homines, non ad solum eventum, id est, ad incredulitatem, sed potius ad æternam Dei prædestinationem referendum esse.

Ergo re ipsa pernegatis Calvinistæ, mortem Christi pro omnibus hominibus esse factam, & Sufficientiæ, &c. vt sup.

118. **Vicesimum quintum argumentum.**

*Bez. vol. 1. fol. 414. Ib. fol. 345.* Vestra est doctrina, verbum salutis seu Evangelium de remissione peccatorum, non destinari in aliquorum (id est, conditorum, vt dicitis, ad gehennam) correctionem, sed in necessitatem pereundi: quod idem est, cum dicunt, verbum reprobis contrario respectu offerri. Quomodo verò verbum illud interpretemini de revelatâ voluntate, quæ obnitatur occultæ, & DEO soli cognitæ, atque in vniuersum DEO repugnanti & contrariæ, si respiciamus ad vocem Euangelij, peculiari excutietur disputatione, volente Deo.

Ergo re ipsa pernegatis Calvinistæ, mortem Christi pro omnibus hominibus esse factam, & Sufficientiæ, &c. vt sup.

119. **Vicesimum sextum argumentum.**

*Vid. lib. meæ um cont. Kir med. fol. 40.* Vestra est doctrina, & vestrâ etiam confessione iam confirmata, & multis in locis & scriptis vestris evulgata, his verbis, hoc sensu, eisque fundamentis, de quibus hæctenus tractatum est, Christum non pro omnibus esse mortuum.

Ergo re ipsa pernegatis Calvinistæ, mortem Christi pro omnibus hominibus esse factam, & Sufficientiæ commentum nihil est aliud, quàm merum ludibrium, & fraus vobis impostoribus digna.

120. Hæc sunt argumenta, contra omnes Diaboli & Calvinistarum ipsius flatus, robusta & inconcussa. Primò quòd categoricè negent, Christum pro omnibus esse mor-



mortuum. Deinde, quòd προλιψας suas habeant, ex quibus, tanquam fundamentis suis, doctrinam hanc astruere conantur. Tertio, manifestum est, quod Saracenicis dentibus omnem infestent Evangelij veritatem. Quarto, quod sufficientiæ & efficientiæ vocabulis, ut Sycophantæ, & proditores Christianæ religionis, scelera sua involvant, & fucum faciant imperitiis, donec ad primos, quos à Mumpelgartensi colloquio efflarunt, ructus respirare queant.

121. Nolui ego argumenta isthæc amplificare & dilatare, cum nemo adeò sit imperitus, qui non necessariam ex singulis videat consecutionem, in qua demonstratur, quod negent mortem Christi toti humano generi destinatam fuisse ad salutem: neque quisquam adeò stupidus est, qui non intelligat, vocabulum Sufficientiæ nihil, nisi fucum, esse, quo homines isti iactatas per univèrsam Ecclesiam, voces & insectationes in mortem Christi, pingere iam velint.

122. Quòd si, Christiane lector, singulorum expetis amplificationem vberiore, perpende singula, quæ in principiis suis habent, Deum hominibus propè univèrsis, (paucis duntaxat, quos electos appellant, & id quoque magna cum fraude, exceptis) ad peccata & supplicia conditis, atque ineluctabili decreti sui necessitate circumvallatis obsistere, ut non possint non, nec debeant non perire.

123. Quod si itaque de sufficientiâ sputum suum locis scripturæ admiscant: tu vocabulum sufficientiæ refer ad ista principia eorum, homines plerosque ad perditionem esse conditos, odium Dei implacabile & nativum



seu substantiale esse in Deo adversus istos: Christum his simpliciter ad ruinam & condemnationem esse missum: verbum prædicatum externam præ se ferre Dei voluntatem, quæ arcanae voluntati, id est, odio, quod Deus ex sese & propter sese, sine ulla alia causa exercet, adversetur, &c.

124. Hæc & similia ex allegatis tibi in memoriam revoca, atque cum iam dicunt, Christum sufficienter pro omnibus esse mortuum, interim verò indesinenter huic absolutæ prædestinationis & iræ divinæ clibanum adversus homines, & in perniciem Evangelij, accendant, vocabulo Sufficientiæ non aliter, quàm summa fraude uti, & per dolum horrèda sua stabilire excetera, liquidissimè constabit.

125. Pone enim principia illorum & horrendas blasphemias, quibus mortem Christi incessunt, ante oculos & audi interim quòd dicunt, Christum sufficienter pro omnibus esse mortuum. Quid iam omnino vocula hæc præter putidissimam fraudem in se continet?

*N.B.*  
*Sic dicere possent, Hispania Regem satis pecunia habere, ut nobis quoque dare posset: verum is nihil nobis destinavit.*

126. Qua etiam sic uti possent, ut eadem ratione, ex iisdem principijs de malis spiritibus dicere possent: Christum pro his esse mortuum sufficienter.

127. Qualem sufficientiam illis ascribunt, quos Deus in ira sua formatos & ad perpetuam torturam, implacabiliter destinatos, sub perpetuis exercere vult supplicijs: talem etiam Sufficientiam ascribere possunt ipsis Diabolis.

128. Habet enim ut ex autoribus sectæ huius audivimus, Sufficientia illa neque consilium Dei iuvandi & salvandi, neque effectum mortis Christi, neque quicquam in se, quod significationem habeat gratiæ & misericordiæ Dei, sed merum est sputum, quod in locis scripturæ sonantibus de morte Christi, in eius excreant vulnera.

Quod



129. Quod si itaque Sufficientiam tibi obijciunt, mi  
Christiane homo, tu horum argumentorū aliquod, quod-  
cunque velis arripe & Gorgonem principiorum, in qui-  
bus omnis illorum consistit doctrina, obijce, atque sic  
contra illorum tutus persistes præstigias & immanem  
Ecclesiæ ludificandi deludendique prurimum.

130. Atque sic constat, quod suas in mortem Christi  
blasphemias nondum retractent, & aboleant, sed potius  
novo incrustent pigmento: & certaminis nullum finem  
fore, donec doctrina hæc ipsorum excindatur.

131. Stamus itaque hîc pro gloria Christi Iesu Salvato-  
ris nostri, & petimus abs te Kimedonci, qui solus Bezâ,  
Gryneo, Paræo, & Tossano projectis, in escam volucri-  
bus, negotium adhuc istud vrges, & solo, eoque strami-  
neo sufficientiæ præsidio, larvatum te regno Christi op-  
posuisti, ut ad ista respondeas argumenta.

132. Et sic quidem, num hæc tua & sociorum tuorum  
sint verba, doctrinæ, κοινὰ ἔννοια, ita ut Pseudocaluinia-  
nus sit inter vos, qui isthæc non eo modo, tractet &  
credat.

133. Deinde, num hæc sit vera & necessaria consequen-  
tia, quam ex verbis vestris hæctenus intulimus.

134. Ex qua consequentia adhuc constanter inferimus:  
primò, quod negetis, Christum esse mortuum pro omni-  
bus hominibus, nec negetis tantum, sed mortem quoque  
ipsius execremini, ut seva Neuseri soboles, iurata in Chri-  
stum & vulnera ipsius cohors: Deinde, Sufficientiæ hu-  
ius, quam vos definitis ac defenditis sterco, nihil aliud ef-  
se, quam viscerum vestrorum excrementum, quo conami-  
ni Evangelium fidemq; Christianam, spectantibus Chri-  
stianis, fœdare & extirpare.

135. Ad isthæc responde tu Kodorlohomor, Nec alium

D 3

nobis



nobis ex Sennaar affer statum: vbi enim dimicandum fit,  
iam tandem satis intellexisti.

136. Nisi feceris, frustra mansuetudinem à me ficticijs  
eblandieris lacrymis & precibus: & furor Domini (si scire  
velis, vnde furor meus oriatur, de quo toties mihi cri-  
men impingere conaris) me corripuit, ut furere semper  
velim, atque te, à perfidis socijs tuis desertum, in spelun-  
cam Makedæ, in qua illi cum gliribus certant, adigam, &  
pessulum iudicij diuini in fortitudine Domini tibi obij-  
ciam.

137. Et si maximè non respondeas, audies tamen me  
denuò, atque sanguinem Christi, quem in odorem vitæ  
habere non vis, in odorem mortis per fauces, atque tan-  
dem etiam per vultum tuum, vt non minus in eo, quàm  
Tossanus & Grynæus, signeris, stringemus, vt, te oppres-  
so & protrito, reliqui timeant, nostræ saluificæ religioni  
inferre arma hostilia.

138. Atque facilè credo, te iudicio Dei concusso, à re-  
liquorum incursionibus porro nos tutos fore.

139. Quod faxit Deus, si es incorrigibilis, & sanctificet  
nomen suum contra ista apud Heidelbergenses Neuseria-  
næ, id est, Mammeluccanæ sectæ germina.

140. Quæ nos acritis ex sale Evangelij aduersus infensis-  
simos hos sanguinis Christi hostes, illo, quo præditi esse  
debemus, zelo, in medium proponimus, æqua & Chri-  
stiana pectora æquissimo accipient animo: rei enim ma-  
gnitudo, & periculum, vt coràm vident, nisi obstata-  
tur, lentiolem aut remissiolem viam, rationemque non  
admittunt. Pergemus proximè, Deo volente, in  
recensendis alijs sectæ huius horren-  
dis blasphemijs.

F I N I S.











**ULB Halle**

3


001 909 207











DISPUTATIO  
SECUNDA CONTRA CALVINISTAS,  
& præsertim Synopsin Kimedoncij.

DE COTHVR-  
NIS SVFFICIENTIÆ ET EF-  
FICIENTIÆ, QVIBVS IAM, CÆ-  
teris subsidijs exuti, aduersus meritum & pas-  
sionem Iesu Christi ingrediuntur.

*Autore*

Samuele Hubero, Heluetio  
Bernensi, S. S. Theol. in illustri Academia  
VVitebergensi Professore:

*Respondente publice*

M. Vito VVolfrum, Pastore  
& Superintendente Cygnæo,

*Disputabitur anno c1s. Is. XCIII die IV. Maij.  
in auditorio magno, hora sexta.*



VV I T E B E R G Æ  
Excudebat Christophorus Axinus.